Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1647
Quelle:
Copyright:

rum Collectiones; vix tacuisset *Fabricius*, si illi uspiam occurrisset.

XIX. *fol.* 193. *Benedicti* XII. Constitutio data *Avenione IV. Kal. Febr. Pontificatus Anno II.* id est 1336. qua Controversiam de Statu Animarum post obitum et Visione beatifica a Praecessore *Johanne* XXII. morte destitutam componit. Init: *Benedictus Deus in donis suis* &c. et legitur in *Car. Cocquelinii Bullario* T. III. P. 2. p. 213.

XX. *fol.* 194. p. 2. *Johannis* XXII. Edictum de Benedictione Nuptiali in secundis votis non iteranda. Incipit: *Concertationi antique finem imponere cupientes presenti declaramus edicto* &c. Non iterandam semel acceptam Benedictionem; qui non acceperunt in primis, dandam in secundis votis; Presbyteros ob iteratam Benedictionem suspensos posse absolvi a Dioecesanis, et eorum dispensatione retinere Beneficia tempore suspensionis obtenta. Praxin Ecclesiarum hac in re diversam fuisse, cum verba *Concertationi antiquae*, tum multa Statuta Synodalia Sec. XIII et XIV. Iterationem vetantia docent. *Rituale Rom.* hodiernum *Tit.* VII. C. 1. *de Sacram. Matrim.* cum Edicto *Johannis*, quod in *Bullario* non habetur, consentit.

XXI. *fol. eod.* ejusdem *Johannis* Constitutio contra Habentes commercia cum Daemonibus, quae incipit: *Super illius specula quamuis immeriti* &c. et legitur *Bullarii cit.* T. *eod.* P. 2. p. 194. data *Avenione* sine nota temporis.

XXII. *fol.* 195. p. 2. Constitutio gallice versa, quae incipit: *Clemens euesque sers des sers de dieu. Reduiant a memoire la cause pourquoy dieu le pere a tramis son fil du ciel en terre la quelle si est car il ne voult point la mort des pecheurs* &c. Sequitur Ecclesiae Rom. praeconium; sed ante, quam ad rei momentum perveniatur, excisae sunt membranae. Unde ne quidem, ad quem *Clementem*, quos haud obiter inspexi, pertineat Constitutio, dicere habeo, tacente *Bullario* et ipso etiam *Baluzio* in *Vitis Papar. Avenionens.*

XXIII. *fol.* 196. *Incipit prologus in tractatu de laudibus parisius.* Hoc modo: *Benedicta sit illa diuine prouidencie ineffabilis eternitas, que mihi dignata fuit illud ordinare propositum, ut siluanectensium* (Silvanectum *Senlis* Urbs vicina Parisiis) *locorum amenitates pro uiribus conscriberem* &c. Fecerat id Noster, et suo *Silvanecti* Elogio commoverat *Virum*, ut ait, *facundum, quem Deus custodiat et dirigat*, ad concinnandas *Parisiorum* veluti Vindicias, quibus caussabatur Nostrum hujus urbis gloriae quodammodo detraxisse. Ut igitur is ostenderet, nequaquam ea se mente fuisse, praesentem Tractatum adornavit, illa insuper ratione motus, quod alter Vindicias suas *constituit nonnisi ex quibusdam vniuersalibus, que nichil mouent, aut modicum,*

et